



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE INTER TEMPLA PAROECIALIS ECCLESIA SANCTI MARTINI,  
IN OPPIDO AMBERGA**

**DIOECESIS RATISBONENSIS POSITA, BASILICAE MINORIS TITULO EXORNATUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Inter templa dioecesis Ratisbonensis singularem constat obtinere locum paroecialem ecclesiam Sancti Martini in oppido Amberga exstantem. Ea enim, praeclaro architecturae genere et ornamentis decora, tum ob sacra quae istic fiunt sollemnia, cum plurimorum ministrantium atque cantorum concursu, tum ob egregiam, qua Ambergenses Deum ac gloriosam Virginem Mariam colunt, pietatem, christianae vitae istius catholicae communitatis quasi quoddam centrum habetur. Qua re, cum Venerabilis Frater Rudolfus Graber, Episcopus Ratisbonensis, preces et vota cleri et populi expromens, ab hac Apostolica Sede petivisset ut ecclesia, quam diximus, ad gradum et dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, istius Praesulis expostulationi Nobis concedere est visum potissimum ratis hoc Nostrae benevolentiae documentum et eidem ecclesiae decori et praedicti oppidi Christifidelium spiritali esse profuturum saluti. Iis igitur probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hoc de negotio statuit, factis olim a Nobis potestatibus, ecclesiam paroecialem Sancto Martino in oppido Amberga dicatam, ad gradum et dignitatem Basilicae Minoris tollimus, instis cum iuribus atque liturgicis concessionibus, servatis tamen iis quae decretam «De titulo Basilicae Minoris», die sexto mensis Iunii, anno MCMLXVIII datum, iubet. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum vim suam habeant ac suos effectus iugiter obtineant. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo sexto mensis Iulii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana

---